

173.

173.

DISSERTATIO INAUGURALIS

CONTINENS

COLLATIONEM

PROCESSUS IUDICII PROVINCIALIS

HOLSATICI CUM PROCESSU JURIS

COMMUNIS ET SAXONICI,

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

JOANNE GVILLIELMO

DUCE SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ AC

MONTIUM, ETC. ETC.

EX DECRETO ET AUTORITATE

INCLYTÆ FACULTATIS JURIDICÆ SALANÆ

SUB MODERAMINE

VIRI ILLUSTRIS ET EXCELLENTISSIMI,

DN. NICOLAI CHRISTOPHORI
LYNCKERI,

Hæreditarii in Köttschau & Flurstedt, Consilarii Saxonici Intimi,

Facultatis Juridicæ Senioris, Antecessoris Primarii, Curia Provincialis

ac Scabinatus Assessoris gravissimi,

DN. PATRONI ætatem devenerandi,

PRO

SUMMIS IN VTRIQUE JURE HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

DOCTORALIBUS

ritè ac legitimè capessendis,

Solenni disquisitioni submittit

ERICUS HENNINGS, Kiliensis Holfatus.

Ad diem 19. Octobr. M. DC. LXXXIX.

Horis ante & pomeridianis.

Jenæ, Literis Bauhoferianis.

Ve

1894

x 1975038



DISSERTATIO IN AUCTORIALIS

COLLEGIUM

PROFESSORUM IUDICII PROVINCIALIS

HOLSTATIUM QUM PROCESSU JURIS

COMMUNIS ET ACADEMICI

DOCTORE MAGNifico

REVERENDISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINO

JOHANNES GAVILLIUS

DUCIS SAXONIAE, JURE CIVILE AC

MONTANAE

EX HACASTO IN AUCTORIALI

INDICIA FACIENS

BY NICOLAUS CHRISTOPHORUS

SECRETARIUS

PROFESSORUM IUDICII PROVINCIALIS

HOLSTATIUM QUM PROCESSU JURIS

COMMUNIS ET ACADEMICI

DOCTORE MAGNifico

REVERENDISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINO

BOGTOREALIBUS

PROFESSORUM IUDICII PROVINCIALIS

HOLSTATIUM QUM PROCESSU JURIS

COMMUNIS ET ACADEMICI

DOCTORE MAGNifico

REVERENDISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINO

Vertical stamp or text on the left margin, possibly a library or ownership mark.

Fragment of text from the adjacent page on the right, including decorative initials and the start of a paragraph.



INGRESSUS.



ravisimus ille nexus est, quo unus-
quisque devinctus Patriæ; non enim
nobis saltem nati sumus, sed potissi-
mam nostri partem natali solo debe-
mus: vitam namq; unde haulimus, illi
vitæ commoda debemus meritò.

Quippe si moriendum pro patriâ, ut ejus promovea-
mus utilitatem, meritò quamdiu superstites sumus,
omni operâ eò contendendum, ne inutilia exista-
mus patriæ membra. Cum verò armis & legibus
præcipuè salus promoveatur publica, illis qui Le-
gum culturæ applicarunt animum, quam maximè
incumbere censeo, non generalibus Juris Commu-
nis placitis insistere, sed insimul quid legibus mori-
busque Patriæ conveniat respicere, quo ex combi-
nato Communium & Patriarum Legum studio,
veram sibi prudentiam comparare valeant. Turpe
enim alias foret ac indignum Patrio Viro, Jus
ignorare in quo versaturus est. Quapropter post-
quam Jurisprudentiæ studio animum applicare cœ-
pi, idem mihi incumbere censeo, ut ad Jura patriæ
ubique respicerem. Accesserunt insuper Venerandi

Parentis mei saluberrima monita, quibus antequam
 Academiæ Patriæ valedicerem, jam eò adductus
 sum, ut Holfatici Juris placita ubique respicerem.
 Vnde diu deliberandum non existimavi, quo ar-
 gumenti genere in præfenti, loco Dissertationis In-
 auguralis, me Patronis commendarem. Videlicet
 constitui mecum, Judicii Provincialis Holfatici Pro-
 cessum cum Jure Communi & Saxonico confer-
 re, quò inde appareat, quid singulare Holfatia,
 quid cum aliis commune in Processu habeat. Se-
 cutus verò hîc sum Revisam illam Ordinationem
 Judicii Provincialis, à Potentissimo Rege CHRIS-
 TIANO IV. & Serenissimo Holfatiæ Duce FRI-
 DERICO Anno 1637. publicatam; ubi cum in Par-
 te 3. procedendi forma in eodem Judicio illustri
 proponatur, Titulorum ductum ubique sequar. A
 te B. L. exoro veniam, ut meos hos conatus beni-
 gnè interpreteris. Quæ defunt suppletura est aliquan-
 do maturior ætas & accuratior in patrios mores
 inquisitio. Interim nostris conatibus faveas, lapsus,
 quos ego lubentissimus agnoscam, ignoscas, & quæ
 desiderari possunt, quorum sanè quam plurima
 sunt, faventissimo Tuo adfectu suppleas rogo.
 Quod restat, DEUM omnis boni fontem devotis
 adoro suspiriis, ut suscepti laboris successus exopta-
 tissimos mihi clementissimè largiatur! Sit itaque

ASSER-



ASSERTIO I.

Judicium Provinciale Holsatiæ & Regi Daniae
 Potentissimo & Duci Holsatiæ Serenissimo
 commune esse, & utriusque nomine ibidem
 jus dici in comperto est: Directorium tamen
 alternis annis mutari solet. Causæ ad hoc iudicium per-
 tinentes vel primam instantiam concernunt vel secun-
 dam. In primâ Instantiâ forum hîc sortiuntur Prælati &
 Nobiles. In secundâ Instantiâ Causæ per modum appel-
 lationis huc devolvuntur, si in iudiciis inferioribus vel
 Prælatorum vel Nobilium vel quatuor Civitatum dem-
 vier Städte = Gericht sententia lata, & quis per illam
 se gravatum sentiat, modo causa non sit infra quinquaginta florenos Lubecenses.

De iudicio
 Provinciali
 Holsatico in
 genere.

II.

Cum verò propositi nostri sit, Processum illius iu-
 dicii ad ductum *Part. 3. der Landgerichts = Ordnung*
 perlustrare, ideoque mox ad illa, quæ *Tit. 1. exhibentur,*
 me confero. Exhibetur autem hîc modus appellatio-
 nem coram iudicio hoc introducendi. Et primò qui-
 dem injungitur Appellanti, ut mox in ipsâ appellatione
 Apostolos reverentiales petat à Iudice à quo; ubi statim
 à Processu Juris Communis se sistit differentia, ibi enim
 pro Apostolis petendis tempus triginta dierum præfinitum
 est, de quo *Carpzov. Process. Tit. 18. art. 3. num. 44.*
 quamvis & alibi idem receptum sit, ut abbreviandi Pro-
 cessus ergò in ipsâ schedulâ appellationis Apostoli pe-
 tantur, quod cum *Clem. 2. X. de appellat. convenire dicit*
Dn. Brunnem. in proc. civ. cap. 28. n. 57. in fin.

Appellans
 quando debe-
 at Apostolos
 petere.

A 3

III. Ad

De Introdu-
ctione Appel-
lationis.

Ad introductionem appellationis sex Septimanae in
Ord. Provinc. d. T. 1. praefinitae, intra quem terminum
vel Regi vel Principi, qui directorium habet, Aposto-
los offerre, & citationem partis adversae, una cum Com-
pulsorialibus petere debet appellans. Quod si hic vi-
deat, Judicem a quo, non obstante appellatione, in cau-
sa pergere velle, forte per executionem, ipsi liberum est
una cum Compulsorialibus simul petere Inhibitoriales, de
quo in *Ord. Judic. Prov. Tit. 2.* Postea praefigitur termi-
nus, in quo producendus appellationis libellus una cum
actis prioris instantiae, cujus copia appellato communi-
catur, eidemque intra sex Septimanas respondendi ne-
cessitas injungitur, productis scilicet exceptionibus tam
contra devolutionem, quam contra formalia & mate-
rialia appellationis. In quibus haec singularia occur-
runt, quod Jure Civili Judex a quo fatale introducendae
appellationis pro lubitu constituere possit, nec ad cer-
tum terminum sit alligatus per *L. 5. C. de appellat.* Cui
correspondet Jus Canonicum in *c. personas. 4. X. de ap-
pellat. Wesenbec. ad ff. quando appellandum sit. n. 5.* Jure
Holsatico autem terminus sex Septimanarum jam tum
praefinitus est, quod & in aliis judiciis similiter factum
esse constat. Sic in Camera Imperiali trimestre spatium
praefinitum *Ord. Cam. P. 2. Tit. 30. Gail. Lib. 1. Obs. 140.*
num. 3. In Saxonia Mensis spatium competit. vid. *D.*
Stryk. in Introduct. ad prax. forens. cautè instituend.
6. 23. §. 15.

IV.

De Fatali ju-
stificandae ap-
pellationis.

Alterum singulare est, quod cum Jure Communi
fatale justificandae appellationis se ad integrum annum

ex

§.

extendat, imo & quandoque ad biennium per *L. ult. §. illud. 4. C. de temp. appellat. Auth. Ei qui. C. d. t. Gail. Lib. 1. Obs. 141. pr. Zanger. de Except. P. 1. c. 1. num. 68.* Quod annuum spatium etiam Jure Saxonico observatur. Berlich. *P. 1. Concl. 50. num. 120. seqq.* Attamen in judicio nostro Provinciali hoc fatale admodum restrictum, & spatio sex Septimanarum inclusum.

V.

Tertium Singulare hoc est, quod quamvis de jure Communi cuivis appellanti solenne illud beneficium competat, nondum probata probandi, nondum deducta deducendi, juxta famosissimam illam *L. Per banc. 4. C. de temp. appell.* quam Rosam inter spinas appellare solent Dd., attamen in *Ord. Prov.* in specie statutum: *In der Appellation-Sache soll nichts neues eingebracht werden/* quod tamen postea ita temperatur, nisi adsint instrumenta noviter reperta, aut testes novi, & appellans juratò obtinuerit, se illorum instrumentorum & testium in primâ instantiâ nullam notitiam habuisse, quod saluberrimè statutum, ne studio protelandæ litis causâ quis ad secundam instantiam reservet instrumenta. Ceterum quibus casibus alias illa facultas nondum probata probandi deliquium patiatur, videri poterit apud Hartmann. Pistor. *Part. 4. quest. 23. n. 2. seqq.* Dn. Brunn. *in Process. c. 28. n. 86.*

De Beneficio non deducta deducendi.

VI.

In *Tit. 2. Ord. Prov.* materia citationum & mandatorum exhibetur. Vbi quoad impetrandas citationes in specie exigitur, ut causa petendi in supplicatione adeò clarè & distinctè proponatur, ut inde non tantum cita-

De impetrandâ citatione.

tio

tio concipi, sed & citatus se sufficienter informare possit. Ex quo illud colligo, non opus esse Jure Holsatico, ut nomen actionis in supplicatione vel libello specificè exprimatur. Quamvis enim hoc aliqui de Jure Civili necessarium esse putent ob generalitatem *L. Edita. 3. C. de Edendo.* attamen lex illa non de nomine actionis, sed de ejus circumscriptione vel determinatione materiali intelligenda, ut ita scilicet factum enarretur, quò appareat Judici, quâ actione experiri cupiat actor. Et hanc sententiam communiter in foro amplectuntur Dd. Carpzov. *de Process. Tit. 6. art. 1. num. 6.* Dn. Brunnem. *in Process. c. 5. n. 8.*

VII.

De Citatione
simplici &
peremptoriâ.

Jure Civili notum est, citationem aliam esse simplicem, aliam peremptoriam. Illa continet spatium decem dierum; Peremptoria verò triplicatam citationem simplicem continet, scil. triginta dies. *L. Nonnunquam. 72. ff. de judic. L. 8. C. Quomodo & quando Judex.* Et hæc Peremptoria Citatio, sublata illâ simplici, utpote quæ Citatum non arctat, in plerisque judiciis, præcipuè Saxonis recepta. Carpz. *in Proc. Tit. 7. art. 1. num. 20.* Huic in effectu correspondet *Ordin. Judic. Provinc.* ubi illæ tres citationes simplices sublatae, & una Peremptoria substituta, insertâ Citationi Clausulâ, *zum ersten/ andern und dritten mahl/* sive una pro omnibus, uti Vlpianus dicit *in L. 72. ff. de judic.* In eo itaque differt à Jure Communi, quod Citatio simplex sit quatuordecim dierum, & Peremptoria sex Septimanarum, cum Jure Civili illa sit decem, hæc triginta dierum. Nec enim cum Legibus congruit, quod habet Carpzov. *d. tit. 7. art. 1. num. 19.* Citationem perem-

pto-

ptoriam Jure Civili trina intervalla quatuordecim die-
rum continere. Resistit enim *L. 69. ff. de judic.*

VIII.

In omnibus Citationibus inserendam esse clausu-
lam, ut Citatus compareat tempore matutino, zu früher
Zeit / cautum est in *Ord. Jud. Prov. P. 3. Tit. 2.* an verò
hæc clausula sit hujus efficaciz, ut citatus non censeatur
satisfecisse citationi, si post meridiem in judicio se stite-
rit? Affirmativam in Curiis Saxon. receptam esse dicit
Carpzov. *Proc. Tit. 7. art. 2. num. 57.* cum integra dies
cedat ipsi citato, nec adeò interfit Actoris, modò illà
die se sistat Reus. Verùm hoc concedere possum facile, si
judex pro arbitrio illam clausulam inseruerit: aliud, si ex
præscripto Ordinationis Judicialis id facere teneatur,
uti in Holsatiâ hoc requiritur. Quis enim crederet, per
modum necessitatis aliquid exigi in citatione, & tamen
illius nullum debere esse effectum, ita enim se verba ha-
bent: Wir ordnen und wollen auch / daß in allen Ci-
tationen denen Parthen zu früher Tages = Zeit zu er-
scheinen werde auferleget / quod verbum auflegen o-
mninò necessitatem parendi involvit.

IX.

Citationem aliam esse ad certos causæ terminos,
aliam ad causam integram, notum est. Prior illa in mul-
tis Germaniæ judiciis recepta, teste Brunnem. *in Process.*
c. 3. n. 9. Verùm *Ordin. Judic. Provinc. Tit. 2.* nullam
aliam admittit, quàm citationem ad integram causam,
daß der oder die geladene der Sachen zu allen Ter-
minen und Gerichts = Tagen / bisß nach endlichem Be-
schluß und Urtheil auswarten soll. In quo convenit
Processus Holsaticus cum Judicio Camerali, ubi pariter

De tempore,
quo citatus
comparere
debeat.

De Citationem
ad totam cau-
sam & spe-
ciali.

citatio generalis ad totam causam regulariter necessaria est. Blum. *de Process. Camer. Tit. 65. §. 1.* exceptis certis casibus, quos habet Gail. *Lib. 1. Obs. 51. n. 10.* Cæterum insignis hujus citationis generalis effectus est, quod ad comparandum in omni termino obliget citatum, nec opus sit citationis repetitione, cum alias ad quemlibet actum speciali citatione opus sit, quod ipsum & temporis moram & sumtus requirit. Dn. Brunnem. *dict. cap. 3. num. 10.*

X.

De Processu
Mandato-
rum.

Quam plurima in Judiciis per mandata expediri, observantia omnium locorum, præsertim Camerae Imperialis comprobatur. Mandata illa sunt vel Cum, vel Sine Clausulâ. Illa sunt, quibus parendi necessitas non simpliciter injungitur, sed clausula justificatoria iisdem inserta, ut scilicet liceat illi, cui quid mandatum, adhuc causæ suæ justitiam in termino deducere, sive ostendere, se obligatum non esse, ut pareat mandato. Petr. Frider. Mindan. *Tract. de mandat. c. 6. n. 1.* Et hæc mandata regulariter permittit etiam *Ord. Prov. Holsat. Tit. 2.* dum generaliter disponit, ut omni mandato inseratur clausula justificatoria: *Si preces veritate nitantur*; quæ expressio hujus clausulæ dependet ex dispositione Juris Civilis in *L. Fin. C. de divers. rescript.* Jus Canonicum autem illam expressionem non desiderat, sed clausulam eandem tacitè subintelligit. *c. 2. X. de Rescript.* Et hæc clausula plenius postea explicatur in *Ordin. Prov.* daß er erscheinen und beweisen solle/wie er dem ausgegangenen mandato pariret, oder Ursachen fürbringe / warum solches nicht geschehen. Conf. Brunn. *Process. c. 2. num. 10.* Hoc ergo certum, si nullam justam causam o-

missæ

missæ partitionis docere possit, ipsum ad poenam con-
demnandum esse. D. Textor. *ad Recess. Imp. de anno 1654.*
diff. 7. thes. 2.

XI.

Hoc videtur singulare esse, quod nullum manda-
tum, etiam cum clausulâ, dari debeat, nisi cui expressa
mulcta pecuniaria sit inserta. *Ordin. Prov. Tit. 2. ibi: Und
soll in allen mandaten eine ausdrückliche Geld = poen
gesezet werden.* Sanè in illis Judiciis non insolitum est,
vel sine poenâ quicquam injungere, vel generalem poe-
næ comminationem subjicere, e. g. Wir befehlen euch
ernstlich/ bey Vermeidung nachdrücklicher Straffe/
oder so lieb euch ist unsere Ungnade zu vermeiden. Vi-
detur tamen Praxis Holsatica stylum Camerae Imperialis
secuta, ubi pariter nullum mandatum absque insertâ
poenâ emanare debet. Blum. *Proc. Cameral. Tit. 34. §. 8.*
Admittit tamen Blumius, loco mandati poenalis, clausu-
lam, bey unserer und des heiligen Reichs höchster Un-
gnade / quod in Holsatiâ non sufficeret, cum præcisè
poena pecuniaria exprimi debeat.

De poenâ
mandatis in-
ferendâ.

XII.

Mandata sine Clausulâ non abrogata sunt Jure
Holsatico, sed potius generaliter approbata *in fin. d. T. 2. C.* quando
Specialiter tamen de illis nihil provisum, sed idem ob-
servandum esse dicitur, was des Heiligen Reichs Ord-
nung von solchen *mandaten* mitbringet. Mandata er-
gò sine Clausulâ omni illo casu admittuntur in Holsatiâ,
quo admittuntur in Camerâ. Cum verò regulariter il-
licita sint, quia Judici non competit contra non audi-
tum per modum executionis procedere. Gail. *Lib. 1. Ob-*

Mandata S.
C. quando
admittantur.

serv. 13. num. 1. Inde communiter quatuor casus singulares proponunt, qui eapropter dicuntur, die vier Fälle: ubi hæc mandata permiffa. *vid. Ordin. Cam. P. 2. Tit. 23. D. Stryk. Introd. ad Prax. forens. cautè instit. c. 3. §. 14.* Quamvis autem quatuor illa casuum genera egredi non liceat, tamen Cameralistæ numerum specierum eò relatarum in tantum augent, ut quadraginta octo referre non dubitet Blum. *in Process. Cam. c. 34. num. 75. seqq.* easque indies cumulent alii: qui tamen num in Holsatiâ omnes indistinctè admittendi sint, cum exorbitans ille procedendi modus intrâ limites quantum fieri potest, coërcendus sit, & *Ordin. Judic. Prov. Holsat.* ad solam Ordinationem Camerae provocet, non ad Cameralistarum extensiones, accuratori examina discutiendum & ex praxi Judicii cognoscendum est.

XIII.

De Sequestrationis prohibitione & concessione.

Sequestrationem regulariter in Jure prohibitam esse, non tantum constat ex *Tit. C. de probib. sequestrat.* sed & idem verbotenus inculcat *Ordin. Prov. Tit. 3. von Sequestration und Arresten*, quod non alio casu, quam ubi jura Sequestrationem permittunt, illa obtinere debeat: quo casu tamen *Ordin. Provinc.* exigit, ut præviâ causæ cognitione decernatur; quod convenit cum praxi aliorum judiciorum, nunquam enim ad sequestrationem deveniendum, nisi summarie constet de jure Sequestrum petentis. *Mynsing. Centur. 2. obs. 11.* Et hanc summariam cognitionem sine dubio intelligit *Ordin. Prov.* per verba: *Mit fürhergehender schleüniger Verhör.* Licet autem summaria sit hæc cognitio, accurata tamen esse debet, & judex cavebit, ne ex præcipitan-

tiâ

tiâ peccet: debet enim considerare jus, quod habet is, qui petit sequestrationem. 2. Causam cur petatur. 3. Conditionem ejus contra quem petitur. 4. Annon meliori modo petenti sequestrationem prospici possit, uti optimè monet Dn. Brunnem. *in Comment. C. ad L. unic. de Prohib. Sequestrat. num. 17.*

XIV.

Arresta Jure Romano incognita & moribus Saxonis præcipuè inventa esse probavit Carpzov. *in Process. Tit. 21. art. 1. num. 3.* & hoc jus Saxonicum secuta esse videtur *Ord. Jud. Prov. Tit. 3.* quamvis in hoc passu in eo diversum quid habeat à Jure Saxónico, quod hoc jure arrestum impetratum à Creditore de unâ quaterdenâ in aliam von 14. Tagen zu 14. Tage bis renovetur. Matth. Coler. *de Proc. Execut. P. 1. c. 2. num. 185.* In secundâ verò renovatione ac termino ultimo Creditor offerre tenetur Libellum Arrestatorium die Nummer = Klage / citato prius ad illum terminum Arrestato, de quo Carpz. *d. Tit. 21. art. 4. num. 39. & 40.* per quem ipsum libellum simul arrestum justificatur. Paulò aliter se res habet Jure Holsatico; hîc enim ad impositionem arresti prærequiritur summaria causæ cognitio, postea spatium sex Septimanarum ad arresti prosecutionem ipsi concessum, ubi mediante Libello Arrestatorio docet, arresto in hoc casu de jure locum esse, & in eodem spatio à Reo respondendum & postea concludendum: *d. tit. 3.* ubi si de justitiâ arresti appareat, pronunciarî solet, daß der Arrest rechtmäßig gesucht / erhalten und prosequiret, und daher die arrestirten Gelder dem Arrestanten zuerkennen.

De Arrestis, eorumq; prosecutione.

De Pignora-
tionibus.

Jure Romano ne quidem pecus alienum, quod da-
mnum dedit, pignorare vel includere fas est; *L. 39. ff. ad
L. Aquil.* multò minus personam pignorare pro debito
fas erit, præsertim si alter pro alterius debito sit deti-
nendus: *L. un. C. ut nullus ex vicin. pro alior. vicin.
debit. teneatur.* & jure novissimo poenâ quadrupli cum
amissione actionis competentis punitur. *Auth. sed omni-
no. C. Ne Uxor pro Marito. & Nov. 52. c. 1. & Nov. 134.
c. 4.* Quòd si quis ipsum debitorem pignoret, & ita
privatâ auctoritate sibi jus dicat, pariter actionem suam
amittit, & alterum tantum ablati restituit. *L. Extat. 13.
ff. Quod metus causa. L. si quis in tantam. 7. C. Unde
Vi.* In Holsatiâ pignorationes extra casum maleficii
pariter quidem prohibitæ videntur, non tamen omni-
mox jure excidit pignorans, sed decernuntur mandata
sine clausulâ pro restitutione pignoris vel dimissione pi-
gnorati, addito simul termino, quo pignorans partiti-
onem doceat. Postea tamen nihilominus ipsi pignoranti
competit deductio suæ actionis, quam si fundatam de-
prehenderit judex, pignoratus dimissus iterum se sistere
debet, quippe in ipsâ dimissione hoc ipsi promitten-
dum erat. Quorsum pertinent verba *Ord. Jud. Prov.
Tit. 4.* Doch anders nicht dann uf wiederstellen. Ce-
terum pignorationes animalium, quæ damnum dedere,
in Holsatiâ frequentissimæ sunt, quæ expediuntur per
certas ad id constitutas personas, communiter dictas *Die
Schütter*/qui pecus pignorum publico stabulo com-
mittunt, sie bringen es in den Schüttstall. Et cum
præcipuè ad defendendam possessionem pignorationes
fufci-

suscipi soleant, processus hic ad interdictum retinendae possessionis pertinet. *Mev. P. 4. Dec. 239. Gail. de pignorat. c. 3. num. 2.* Quomodo autem in Camera Imperiali in casu pignorationis procedatur, prolixè tractat *Blum. in Proc. c. 32.*

XVI.

Libellum in Simplicem & Articulatum dividi vulgò notum est; in illo summarie factum narratur Judici; in hoc merita causae articulatum exhibentur, h. e. factum in certa capitula & membra distinguitur. Verum hic libellus articulatus per Leges Imperii penitus sublatus est, cum varias occasiones suppeditet super articulis illis disputandi, annon obscuro, multiplices, captiosi, impertinentes, irresponsales &c. vid. *Recess. Imp. de Anno 1654. §. 37. 64. & 96.* quam articulatum libellandi rationem jam antea abrogaverant Saxones. vid. *Constit. August. 2. P. 1. Berlich. P. 1. Concl. 12. Carpzov. Process. Tit. 6. art. 1. num. 50. In Ordin. Provinc. Tit. 5.* libellus articulatus adhuc admittitur, sed tantum in causis magni momenti; in levioribus enim causis libellum summarie formandum esse, expressè ibi injungitur.

De Libello simplici & articulado.

XVII.

Requisita libelli varia à Dd. recenseri solent, de quibus vid. *Dn. Brunnem. in Process. c. 5. D. Stryk. Speciali Dissertat. de Jure libellorum.* Ordinatio Holsatica *Tit. 5.* pariter injungit Advocatis, ut sibi caveant ab ineptis libellis & factum clarè ac perspicuè proponant, ne ob incertitudinem vel obscuritatem libelli ipsi Judici incertum maneat, quid petatur, & super quo pronuncian- dum. Imò tandem Judici penitus injungit, ut talem libell-

De Libello inepto.

bellum ineptum ex officio rejiciat. Cum quo conspi-
rat communis Practicorum sententia, quod libellus in-
eptus à Judice non debeat admitti, sed potius dentibus
lacerari. Speculat. in *Tit. de libelli conceptione. §. sequi-
tur. vers. Judex autem si viderit.* libellus enim ineptus
induceret nullitatem respectu omnium, quæ postea in
judicio peraguntur. Gail. *Lib. 1. Obs. 67. num. 3.* Carpzov.
Process. Tit. 6. art. 1. n. 30.

De Exceptio-
nibus dilato-
riis.

XIIX.

Ante Litis Contestationem opponendas esse Exce-
ptiones dilatorias constat; post litem enim contestatam
illæ amplius non admittuntur: Zanger. *de Except. P. 2.
c. 22. num. 3.* nisi in casibus quibusdam exceptis, quos re-
censet D. Stryk. *in Introd. ad Prax. forens. cautè instit.
c. 9. §. 3.* Non discordat *Ord. Jud. Prov. Holsat. Tit. 6.* sed
hoc simul inculcat, ut exceptiones dilatoriæ omnes unâ
vice proponantur, & illis simul eventualis Litis Conte-
statio subjiciatur. Adeò illud, quod in Jure Canonico
Judici permissum est, scilicet omnibus exceptionibus di-
latoriis unum terminum præfigere, *c. Pastoralis. 4. X. de
Except.* in Holsatiâ ad necessitatem Juris tractum est.
Cum quo correspondent Leges Imperii. vid. *Ord. Cam.
P. 3. Tit. 24. & Recess. Imp. de Anno 1654. §. 37.* Idem quo-
que Saxonibus ad evitandas Processuum ambages pla-
cuit, de quo Carpz. *P. 1. Const. 3. def. 1.*

XIX.

De Juramen-
to Calumniæ.

Juramentum Calumniæ Jure Communi mox ab
initio litis deferri potest, quo exploretur animus litiga-
toris, an ille malitiosus sit, an non. Conf. *L. 2. pr. §. 4. C.
de jurejur. propter calumniam.* Discedit ab eo quadam-
tenus *Ordin. Prov. Holsat.* ibi enim juramenti calumniæ
dela-

delatio locum demum habet post litem contestatam
Ord. Prov. P. 3. Tit. 6. ibi: Litem contestiren, und darauf
den End vor gefährde ic. in quo convenit cum Jure
Camerali, ubi pariter non nisi post litem contestatam
exigi poterit, adeò ut si antea idem juramentum præste-
tur, processus sit nullus, nisi post litem contestatam re-
petatur. Blum. in Proc. Cam. Tit. 72. n. 22. De qua Praxi
quid judicandum sit, vid. Dn. Brunnem. Process. cap. 15.
num. 20.

XX.

Juramentum Calumniæ regulariter in personâ pro-
 priâ præstari debere cautum est in *L. 2. C. de jurejur. pro-*
pter. calumn. Jus Canonicum hoc casu admittit Procu-
 ratorem in principalis animam jurantem. *c. ult. de jura-*
ment. calumn. in 6. In Holsatiâ pariter Procurator spe-
 ciali mandato instructus ad jurandum admittitur, si prin-
 cipalis legitimo impedimento detentus sit: *Ordin. Prov.*
P. 3. Tit. 6. ubi simul additur, daß der Anwald in sei-
ne eigene und des Principalen Seele schweren soll/
 quod saluberrimè ita receptum, cum Procuratores sæ-
 pius meliorem negotii notitiam habeant, an scilicet
 processus malitiosè susceptus vel non. Ob quam cau-
 sam eadem jurandi formula in Camerâ exigitur. Blum.
in Process. Camer. Tit. 72. num. 7. Jus Saxonicum præ-
 cisè exigit, ut partes in personâ jurent. Carpzov. *in Pro-*
cess. Tit. 12. art. 1. num. 34. Cæterum in genere juramen-
 tum in alterius animam licitè præstari posse existimo;
 quicquid etiam dicat Oldekop. *Tract. de jurejur. in*
alter. animam.

An illud per
 Procurato-
 rem præstari
 posset?

XXI.

Hoc singulare est, quod *Ord. Prov. d. Tit. 6. partibus*

C

per-

An à parti-
 bus remitti
 possit?

permittat remissionem juramenti calumniæ, quæ remissio tamen ipsis jure Communi interdicta est. *L. 2. C. de jurejur. propter calumn.* addatur *Gail. Lib. 1. Obs. 84.* Quamvis tacita remissio, dum à partibus non petitum, à Dd. admittatur. *Scacc. de judic. lib. 2. c. 1. lit. P.* Interim tamen Jure Holsatico judici incumbit, quoties malitiam subesse videt, hoc juramentum deferre, etiam si pars illud non petierit, cum quo convenit *Rec. Imp. de Anno 1654. §. 43. Dn. Brunnemann, Proc. Civ. c. 15. num. 3. in fin.* Unde non malè *Mevius P. 4. decis. 164.* hujus juramenti præstationem arbitrio judicis relinquit. Cæterum pœnam jurare nolentium esse, ut quis causâ cadat, prout in *Ord. Jud. Prov. Tit. 6. in fin.* dispositum. Hoc cum praxi aliorum judiciorum convenit. *vid. L. 2. §. 6. C. de jurejur. propter calumn. c. fin. §. fin. X. d. t. Gail. Lib. 1. Obs. 86. n. 1.*

XXII.

Formula juramenti Calumniæ.

Formula juramenti Calumniæ in *Ord. Jud. Prov. P. 3. Tit. 7.* expressa, convenit cum illâ, quæ jure communi præscripta, & his versibus comprehensa

Illud juretur, quod lis sibi justa videtur.

Et si quæretur verum non inficietur.

Nil promittetur, ut falsa probatio detur.

Vt lis tardetur, dilatio nulla petetur.

vid. Auth. Principalis. & Auth. in isto. C. de jurejur. propter calum. Hoc tamen per *Recess. Imper. de Anno 1654. §. 34.* juramento huic insuper additum, und so bald sie aus denen Beweissthumen/oder sonst in progressu der Sachen befinden würden/das sie eine unrechte Sache hätten/davon abstehen/und sich deren gänzlich ent-

entschlagen wolten. Quæ clausula satis necessaria est, modò sanctè à litigatoribus observaretur.

XXIII.

Juramentum Malitiæ est inventum Juris Canonici, & reverà non differt à juramento Calumniæ speciali, vid. Dn. Brunnem. *Process. Tit. 15. num. 5.* & hoc deferri solet in quâcunque litis parte, ubicunque ex actu aliquo præsumtio malitiæ contra partem alteram emergit; quod solum juramentum retentum est in Saxonîâ Carpzov. *in Process. Tit. 12. art. 1. num. 3.* In Holsatiâ & generale illud juramentum Calumniæ & speciale hoc Malitiæ pro re natâ præstari solet, uti ex utriusque formulâ apparet. *Ord. Prov. P. 3. Tit. 7. § 8.*

De Juramento Malitiæ.

XXIV.

Contumacem esse, qui ter citatus vel semel peremptoriè, emanet, constat ex *L. Contumacia. 53. ff. de Re judic.* Quomodo verò contra contumacem procedendum, stylus judiciorum variat. In Holsatiâ juxta *O. P. P. 3. Tit. 9.* ante terminum prorogationem petere fas est, adductis causalibus, legitima impedimenta continentibus, quæ impedimenta tamen juramento prorogationem petentis probanda; sicut & idem Jure Saxonico obtinet. Carpzov. *Proc. Tit. 8. art. 2. num. 58.* Quod si illa probare nequeat, ad expensas retardati processus obligatur. Quod si verò planè emanerit altera pars, nec causas impedimenti adduxerit, ad expensas termini iterum condemnatur, ipsique injungitur, ut in proximo termino agat, alioqui reum esse absolvendum. Quod si reus sit contumax, lis pro negativè contestatâ habetur, actor ad probandum admittitur, & definitivè in causâ pronun-

De Processu contra contumaces.

riatur. Praxis hæc Holsatica ferè convenit cum Jure Communi, nisi quod Actore contumace, reus tantum ab instantiâ absolvi soleat, restitutis expensis; *L. Prope-randum. 13. §. 2. C. de judic.* nisi ipse onus probandi exceptionem aliquam dilatoriam in se suscipere velit, tunc enim definitivè absolvi poterit. Dn. Brunn. *Proc. c. 4. num. 4. Ord. Cam. P. 3. Tit. 42. §. 2.* Si reus contumax, similiter proceditur Jure Communi, uti in Holsatiâ. vid. *Auth. Qui semel. C. Quomodo & quand. jud.* Quomodo in specie contra contumacem in Camera procedatur, vid. *Rec. Imp. de Anno. 1654. §. 36. Blum. in Proc. Tit. 66. num. 46.* Aliter in Saxoniâ contra contumaces proceditur, ibi enim lis non pro negativè sed affirmativè contestatâ habetur, sive Reus pro confesso reputatur, adeò ut nullâ ulteriori probatione gravandus sit actor. *Rauchb. P. 1. quest. 1. num. 2.* Præcedit tamen condemnatio usque ad legitima impedimenta deducenda, *bisß auf Ehehafft und behelfliche Wiederrede.* *Carpz. in Proc. tit. 8. art. 2. num. 36.* Quod si nec sic compareat, condemnatur ad executionem, *bisß auf die Hülffe /* ubi simul actualis executio sequitur. *Carpzov. d. tit. 8. artic. 3. num. 31. D. Stryk. Introd. ad Pr. for. cautè instit. c. 6. §. 6.* Cæterum in causis oraliter tractandis citius in contumaciam pronunciari solet in Holsatiâ. *Ord. Prov. P. 3. T. 9. in fin.*

XXV.

De Recon-
ventionem.

Reconventio fundamentum suum habet in famosâ *L. Cum Papinianus. 14. C. de Sent. & interloent.* ubi æquisima hæc subjecta est ratio, quòd nemo illum contra se judicem declinare debeat, quem pro se judicem ha-

habere voluit. Eapropter in Jure Communi reconventiones coram quocunque iudice regulariter admittuntur. Molignat. *de Reconvent. quest. 32. seqq. conf. c. 2. X. de mutuis petit. Clem. Sape. de V. S.* In Holsatiâ hoc singulare est, quòd distinguatur an Actor in Ducatu Slesvicensi vel Holsatiæ possessionatus sit, vel an non; Si illud, cessat reconventio, & reus ad forum ejus ordinarium ablegatur: Sin posterius, aut si actor sit peregrinus, reconventioni respondere tenetur, & actor de reconventionem & expensis cavere tenetur. Non quidem exprimitur in *Ord. Prov.* an reconventio tantum habeat effectum prorogationis iudicis, sicuti illum saltem habet Jure Saxonico, ubi demum post conventionem totaliter finitam & excussam reconventioni quis respondere tenetur, per *Constit. Electoral. 7. P. 1. Zanger. de Except. P. 2. c. 1. num. 385. seqq.* An verò insuper habeat effectum simultanei processus, ut scilicet causa Con- & Reconventionis simul ventiletur: quem effectum habet reconventio de jure communi, Molignat. *d. l. quest. 96.* hoc in *Ord. Prov.* specificè non expressum: affirmandum tamen hoc esse censeo, cum in Camera uterque effectus pariter observetur. Blum. *Proc. Cam. Tit. 40. §. 22.* Atqui verò stylum Camerae, ubi aliud non expressum, plerumque sequimur; ut apparet in simili casu in *Ord. Prov. P. 3. Tit. 11.* ibi: und juxta stylum Camerae formiret.

XXVI.

Exceptiones peremptorias post Litis contestationem opponendas esse, vulgò notum est. Zanger. *de Except. P. 3. c. 16. num. 34. L. 8. §. 9. C. de Except.* Imò pra-

De Exceptionibus peremptoriis.

xi judiciorum receptum est, ut mox ipsi litis contestationi dictæ exceptiones subjungantur, & quidem omnes simul; quod approbatum per *Recess. Imper. de Anno 1654. §. es soll auch hinsuro.* Idemque in Saxoniam introductum D. Stryk. *Introd. ad prax. for. cautè instit. c. 16. §. 3.* In Holsatiâ idem obtinet per *Ordin. Prov. P. 3. Tit. 11. ibi: und soll Beklagter seine responsiones mit angehefften articulirten exceptionibus und defensionibus, was er deren zu haben vermeinet/einbringen.*

XXVII.

De juramento dandorum & respondendorum.

Cum superius dictum, in Holsatiâ Libellum articulatum non esse abrogatum, vid. supra *Aff. XVI.* exinde non potuit aliter disponi, quam quod reus loco litis contestationis ad articulos sigillatim sub juramento dandorum respondere necessum habeat. Quamvis verò in aliis judiciis libellus articulatus sit abrogatus, non tamen ea propter usus positionum sub juramento dandorum & ad illas responsio, sub juramento respondendorum, desiit, non quidem hoc fine, ut hâc ratione lis contestetur, sed ut probatio per positiones suscipiatur, ubi pariter positiones formari solent secundum distinctionem facti proprii & alieni, per verba: *sage wahr oder glaube wahr*/uti in *Ordin. Prov. d. tit. 11.* hoc præscriptum, conf. *Recess. Imp. de Anno 1654. §. Dieweil aber. Dn. Brunn. in Process. c. 17. §. 3.* ubi plura de positionum materiâ videri poterunt.

XXIIX.

De probatione per Testes.

Qui per testes probare cupit, articulos eo nomine cum directorio & denominatione testium offerre debet, petitis insimul Commissariis, quibus examen testium

um

um committatur. *Ord. Prov. 3. Tit. 12.* Reo pariter permissa est reprobatio, ubi articulos reprobatoriales cum denominatione testium, & directorium ipsis Commissariis offerre poterit. Commissarii postea diem examini indicunt, citatis partibus ad videndum produci & jurare testes, ubi pariter reo permissum est interrogatoria offerre & Notarium examini adjungere. *Ordin. Provinc. d. Tit. 12.* Pariter Jure Communi in examinandis testibus proceditur, quæ singula videre licet apud Brunn. *Proc. Tit. 20. n. 36. seqq.* Carpz. *Proc. Tit. 13. art. 1. § 2.*

XXIX.

Testes contumaces seu comparere nolentes sub pœnâ citari, eandemque pœnam in casum ulterioris contumaciæ duplicari posse, provisum est in *Ord. Provinc. P. 3. Tit. 12. in fin.* non autem in primâ citatione testes sub pœnâ citari posse puto, cum *O. P.* illud tantum in casum emanationis concedat; ejusdem sententiæ est Ruland. *de Commissar. P. 3. lib. 1. cap. 2. num. 2. in fin.* admonens Commissarium, ne primæ citationi testium pœnam inserat. In Pomeraniâ tamen speciatim receptum, ut mox in primâ citatione exprimat pœna, quam praxin, cum liti abbreviandæ faveat, commendat Dn. Brunn. *in Proc. c. 20. n. 45.*

De compellendis testibus mediante pœnâ.

XXX.

Interrogatoria multum prodesse, quò ex circumstantiis ipsis testibus distinctè propositis veritas eliciatur, in comperto est, unde quandoque Commissarius, si pars hoc omiserit, ex officio interrogatoria formare potest. *c. cum causam 37. X. de Test.* Sed cum insignis abusus sit interrogatoriorum, dum sæpius proponuntur captiosa, obscuro-

De Interrogatoriis.

scu-

scura, criminosa, eapropter in *Ord. Prov. Tit. 13.* injungitur Advocatis, ne hujus farinae interrogatoria proferrant, sed talia conscribant, quæ merita causæ contineant, & non sint impertinentia, alioqui Commissariis facultas conceditur talia interrogatoria rejiciendi vel prætermittendi. Idem in aliis judiciis observatur, sicuti de vitiis interrogatoriorum videri poterit *Ruland. de Commissar. lib. 2. c. 10. n. 3. Dn. Brunn. Proc. c. 20. n. 56.*

XXXI.

De Juramento
testium.

Juramentum testium in *Ord. jud. Provinc. Tit. 14.* præscriptum non differt à praxi aliorum judiciorum: Quamvis verò juramentum sit de substantiâ testimonii, nihilominus illud ipsum testibus partium consensu remitti posse certum est; *Carpzov. in Process. Tit. 13. art. 4. num. 84.* modò causa sit hujus generis, ut partes quicquam in illâ remittere possint; ubi enim causa litigantium arbitrio exempta, e. g. Matrimonialis, Criminalis, ibi partium remissio nullius momenti. *Setzer. de juram.*

Quid si extra
articulos de-
ponat testis?

cap. 9. num. 38. Farinae. de testib. quest. 28. num. 89. Cæterum cum in juramento testium Holsatiæ illa clausula inseratur: *Darum sie gefraget werden / exinde apparet, testi extra articulos deponenti non esse credendum, cum eo ipso se suspectum reddat: Alii tamen comprehendant cautelam, præsertim in negotiis interesse publicum concernentibus, ut testis juret, se depositurum, was ihm er würde gefraget werden / und was ihm sonst von der Sache wissend: interdum enim plures facti circumstantiæ cognitæ sunt testi quam Judici, ne ergò dici possit, quod extra articulos deposuerit, cautela illa utilis erit. conf. Dn. Brunn. ad Wesenb. Tit. de test. q. 34. in fin.*

XXXII. In

XXXII.

In ipso examine testium permissum est illi, contra quem producuntur testes, opponere exceptiones contra personas testium, ita tamen, ut illas non mox probet, sed potius ad futuram deductionem reservet, postquam attestata fuerint publicata. *Ord. judic. Prov. Tit. 15.* Quod pariter jure Communi observatur, ut scilicet Judex in dubio admittat testem, salvâ tamen parti adversæ exceptione contra personas & dicta testium. Menoch. *Lib. 2. arbitr. judic. quest. cas. 239.* Farinac. *de Test. quest. 62. num. 350.* quorsum pertinet formula pronuntiandi, daß die producirte Zeugen zulässig / es ist aber Beflagten / was er wieder eines und des anderen Person oder Aussage einzuwenden hat / nach Erforschung des Zeugniß bezubringen unbenommen. vid. Dn. Brunn. *in Process. c. 20. n. 35. in fin.* Eapropter tamen *Ord. jud. Prov. Holsat.* non videtur excludere casum, si reus testem talem opponat exceptionem, quæ fidem ipsius non minuat, sed planè tollat, e. g. Ipse est pater Actoris, est confors litis, &c. laborat notoriâ juris infamiâ; quid enim proderit hos testes examinasse, de quibus liquidò constat, illos nullam mereri fidem. Ergò frustra hoc casu reservatur exceptio post publicata attestata. Quod in Saxonîâ pariter obtinere probat Carpzov. *in Proc. Tit. 13. art. 5. num. 7.*

XXXIII.

Porro cautum in *Ord. jud. Prov. d. Tit. 15.* citari quidem debere partem adversam, ut præsens sit, ac videat audiatque jurare testes, quo facto partes discedere, & testes separatim examinari jubentur. Quæ praxis non

De Exceptionibus contra personas testium.

De Introitu Actoris ex officio for- mularum

De citatione ad videndum jurare testes.

D

tan-

tantum cum Jure Communi convenit juxta *L. si quando. 19. C. de test.* Licet hoc in specie in jure non determinatum, an presentibus partibus, an illis absentibus deponere debeant. Praxi tamen judiciorum receptum, ut remotis partibus examinentur, ne ob partis presentiam terreantur. Quamvis non videantur damnandi mores Angliæ, ubi testis inter Actorem & Reum in medio collocatur, quò in deponendo testimonio utriusque partis æqualem rationem habeat. vid. Thomas Schmit. *Tract. de Republ. Anglic. Lib. 2.*

XXXIV.

De Interrogatoriis ex officio formandis.

Illi contra quem producuntur testes fas esse interrogatoria producere & petere ut ad illa pariter examinentur testes, constat ex *Ord. jud. Prov. P. 3. Tit. 15.* de quibus jam supra *Aff. XXX.* dictum. Quod si tamen pars interrogatoria offerre omiserit, nihilominus Commissariis injungitur, ut ex officio forment interrogatoria generalia, quò ex illis de qualitate & conditione testium constare possit. Imò ad ipsos articulos etiam, præsertim illos, in quibus cardo negotii vertitur, examinatore interrogare debet causam scientiæ, tempus, locum, aliasque facti circumstantias. *Ord. jud. Provinc. d. t. 15.* Quod convenit cum dispositione juris Canonici in *c. cum causam. 37. X. de test.* idemque in aliis judiciis observatur, conf. Dn. Brunn. *Process. Civ. c. 20. num. 55.* Præcipuè verò illud observandum judici, ut non facile omittat interrogatorium de causâ scientiæ, vel de ratione dicti, adeò ut si hoc negligat iudex, ad interesse teneatur parti, & denuò testem examinare debeat *L. Solum testationem 3. C. de test.* Farinac. *de test. quest. 70. num. 1. seqq.* Deposito enim testis nulla est, qui causam scienti-

scientiæ reddere non valet Dn. Brunn. *d. c. 20. n. 71.* Imò testis sine ratione loquens, dicitur loqui ut pecus non ut homo. Seraph. de Seraphinis *Tract. de privil. jurament. privilegio 33. num. 211.* Farinac. *quest. 70. n. 9.* Quomodo autem illa ratio per sensum corporeum reddi debeat, de eo videatur pluribus D. Stryk. *Tract. de jur. Sens. proœm. n. 29.*

XXXV.

Testes post examen imposito silentio dimittendos esse cautum est in *Ord. jud. Prov. d. t.* cum quo praxis omnium ferè judiciorum coincidit, nec ante publicationem altera pars depositionis contenta percipiat, & ita novos testes ad factum aliter proferendum producat vid. Ruland. *de Commissar. P. 2. Lib. 2. c. 29. n. 2.* Hoc etiam providè cautum in *ead. O. I. P. d. l.* ut Notarii protocolla attestatorum in accuratâ custodiâ conservent; quod tunc præcipuè necessarium, si à parte alterâ Notarius examini adjunctus, quod plerumque hoc sine faciunt, ut ex hoc attestata clam addiscant, ideoque in multis judiciis providè observatur, ut Notarii sua protocolla in loco judicii obsignata relinquere teneantur, ne habeat occasionem attestata aliis communicandi.

De silentio
testibus im-
ponendo.

XXXVI.

Si testes sub alienâ jurisdictione domicilium habeant, per subsidium juris eorum testimonium exigi solet, scilicet ut scribatur ad judicem domicilii, eidemque articuli cum interrogatoriis transmittantur, illiusque officium imploretur, quò testem suæ jurisdictioni subiectum diligenter examinet, ejus depositionem probè notet, & postea attestatum illud obsignatum remittat. *O. J. P. Tit. 16.* Nulla quidem in *hoc Tit.* mentio facta,

De Testibus
sub alienâ ju-
risdictione.

an iudex imploratus presentibus an absentibus partibus illud examen instituere debeat; Sed hoc subintelligendum puto, scilicet iudicem imploratum servato juris ordine procedere debere, & sic quoque utramque partem citandam esse. Imò interdum, si causa magni momenti sit, exigi posset, ut iudex domicili remittat testem ad locum iudicii, ubi causa ventilatur, acceptis desuper literis reversalibus, vel mutui compassus, ne hoc ipsius jurisdictioni obsit. Quod præcipuè in Criminalibus observatur. *Nov. 90. c. 5.* licet praxis hoc casu variet *Mev. P. 4. Dec. 259. num. 4.* Cæterum remissiones testium ad alium locum sumptibus petentium fieri debere in confesso apud omnes est. *conf. Dn. Brunn. Proc. c. 20. num. 52.* Quod idem quoque in *Ord. jud. Prov. Tit. 17.* habetur, ut producens tam Commissariis quam testibus necessarios sumtus suppeditet, moderandos aliquando iudicis arbitrio. Quando autem in Camera literæ mutui compassus quoad testes sibi locum vindicent vid. *Blum. in Proc. Cam. Tit. 73. n. 70.*

XXXVII.

De termino
producendo-
rum testium.

Terminus producendorum testium est Sex Septimanarum, in quo si ille, cui probatio injuncta, testes producere non valuerit, secunda imò & tertia dilatio ipsi conceditur. Quod si verò ad quartam etiam dilationem provocaverit, non aliter ipsi conceditur quam cum solennitate legali, ut scilicet juret, se quartam hanc dilationem non dolosè vel calumniosè petere, & si forte testes quidam antea examinati, se attestatorum illorum notitiam non accepisse, sed se bono animo hanc dilationem desiderare. *Ord. jud. Prov. Tit. 17.* Correspondet hoc passu jus Holsaticum cum Jure Canonico vid. *c. ultra 55. X. d. test.* & cum jure Civili Novissimo

Nov.

Nov. 19. c. 5. conf. Zoes. in Comment. ff. ad Tit. de Test. num. 15. Sed per Leges Imperii novissimas duæ tantum dilationes conceduntur, & solennitas illa legalis seu iuramentum præstandum est, si quis tertiam saltem dilationem desideret, vid. *Rec. Imp. de Anno 1654. S. de punctum probationum. 50. in fin.* Multa tamen circa has probationes dilatorias in Camera Imperiali consideranda & attendenda esse ordine exponit Blum. *in Proc. Cam. Tit. 73. num. 6. seqq.*

XXXIIX.

Non denegandum videtur actori plures producere testes, quam quorum nomina in directorio articulis probatorialibus subjecto expresit, sed exigit hoc casu *O. J. P. tit. 17.* ut juret producens, se antea horum testium notitiam aut copiam non habuisse; ad quod iuramentum etiam producentis procurator admittitur, si specialissimo mandato ad hoc sit instructus *d. tit.* Non refragatur hoc Juri Communi, si enim ibi novæ productiones testium permiffæ, etiam hoc permiffum erit, testes in directorio non nominatos producere: semper tamen hic concedenda est alteri parti facultas, nova interrogatoria peneralia conscribendi, quæ quadrent ad novorum testium personas.

De novis testibus produ-
ctis.

XXXIX.

Testes ante litem contestatam examinandos non esse, tam Jure Communi quam praxi judiciorum in confesso est vid. *c. quoniam frequenter 5. X. ut lite non contest.* hoc tamen eodem jure Canonico, ut & per *O. J. P. tit. 18.* limitationem recipit, nisi testes ad perpetuam rei memoriam sint examinandi, ob id quod in morte testium timeatur, vel absentia diuturna *d. c. quoniam*

De Examine
ad perpetu-
am Rei me-
moriæ.

miam frequenter vel etiam si morbus grassetur contagiosus, ubi quotidianum subest periculum, testimonia fore peritura *O. J. P. d. t. 18.* Hoc singulare est, quod *Ord. Proc.* non exprimat, cui illud examen ad perpetuam memoriam indulgeat, an actori, an reo, an utriusque: Magna enim hoc casu inter actorem & reum est differentia. Nam de reo certum est, quod ipsi simpliciter sine discrimine ætatis, valetudinis aut absentia testium sit concedendum hoc examen, ne ei probationes pereant *Gail. Lib. 1. Obs. 92. num. 8. Carpzov. in Proc. tit. 13. art. 7. num. 40.* Correspondet, *Ord. Proc. Saxon. tit. 27. in pr.* ubi hæc occurrunt verba: Ein Beklagter mag ohn unterscheid die Zeugen zum ewigen Gedächtniß führen / sie seyn alt oder jung / frantz oder gesund / wenn ihm nur eine erhebliche exception, damit er sich von der fünfftigen besorgten Klage entbrechen möge / zustehet.

XL.

Actori illud non facile concedendū.

Aliter se res habet cum Actore, in hujus enim potestate est actionem movere, quando velit, & ita ordinariam probandi viam suscipere, imputet ergo sibi, quod jure suo non utatur: frustra enim extraordinarium remedium eligit, cui ordinarium sufficiens competit. *Ruand. de Commiss. P. 2. Lib. 1. c. 3. n. 13.* Reus verò in sua potestate non habet exceptiones proponere antequam conveniatur, unde ipsius juri non æquè præscribitur, vid. *L. 5. §. fin. ff. de dol. mal. & met. except.* Cum tamen interdum etiam in Actoris personâ impedimentum supervenire possit, ita ut ad illud extraordinarium examen ad perpetuam rei memoriam recurrere necessarium habeat, de hoc casu speciali intelligendam esse puto *Ord.*

Ord. Prov. Cum quâ ferè quoad verbum coincidit *Ordin. Process. Saxon. Tit. 27. pr.* Ob wohl sonst ins gemein vor der Kriegsbefestigung Zeugniß zu führen nicht verstattet wird/so lassen doch die Rechte in gewissen Fällen zu das *testimonium ad perpetuam rei memoriam*, machen auch hierbey einen Unterscheid unter dem Kläger und Beklagten: Dem Kläger wird solches anderer Gestalt nicht nachgelassen / es sey denn/das er dessen erhebliche und rechtmäßige Ursachen habe. de quo pluribus vid. *Carpz. in Proc. d. art. 7. num. 23.*

XLI.

Inter causas illas Actori examen illud indulgentes refertur morbus & Senium, daß die Zeugen mit hohem Alter beladen vid. *O. P. Tit. 18.* ubi morbus non qualiscunque, nec levis febricula, sed fonticus demum excusabit *arg. L. Quasitum 60. ff. de re jud.* Sed quot annis ætas decrepita sit determinanda admodum dissentiunt *Dd.* dum alii à quadragesimo, alii à quinquagesimo, sicut hoc in *Camera* observari tradit *Gail. Lib. 1. Observ. 92. n. 7.* alii à septuagesimo annio senium computant *arg. L. 2. ff. de Accusat. tutor. & L. unic. C. qui etat. se excus.* Verùm nihil certi ibi determinari poterit; Sæpius testis septuagenarius robustior est quinquagenario; iudex ergò non ad solam ætatem, sed simul ad constitutionem corporis testis attendat, an præsumtivè adsit periculum mortis. *Mench. de arbitr. judic. quest. Lib. 2. Cas. 59. n. 3.* *Mascard. de Probat. Vol. 3. Concl. 13. n. 102. in fin.* Cæterum quod de loco tempore contagioso, disponit *O. I. P. idem & alibi attendendum esse notat Ruland. de Commiss. P. 2. Lib. 1. c. 7.* Quibus autem casibus etiam Reo

Casus excepti.

Reo sine justâ causâ non concedatur hoc examen vid. apud Farinac. *de Test. quest. 76. n. 74.* D. Stryk. *Tr. de I. Sens. Dissertat. 8. c. 2. n. 18. seqq.*

XLII.

Quid in illo
Examine ob-
servandum.

In hoc examine ad perpetuam Rei memoriam omnia illa attendenda vult *Ord. judic. Prov. Tit. 18.* quæ ad ordinarium examen testium requiruntur, scilicet ut articuli prius communicentur parti adversæ, ad formanda interrogatoria, partesque citentur ad videndum jurare testes. Eandem citationem etiam in Camerâ necessariam esse docet Gail. *Lib. 1. Obs. 94. n. 4.* Schrader. *de Feud. Part. 2. Partis 9. principal. Sect. 13. n. 113.* Idem Jure Saxonico approbatum per *d. Ord. Process. Saxon. tit. 27.* Es sollen die Gerichte alsodann einen termin, innerhalb welchem er seine Beweis = Articul einbringe / bestimmen / und wann dieselben einkommen / darauf folgendes citationes an das Gegentheil mit Überschickung solcher Articul, ob er darauf interrogatoria einbringen wolle / so wohl auch an die Zeugen ausgehen / und sonsten damit verfahren lassen / wie es mit anderen Bezeugnissen bräuchlichen. de quo pluribus vid. Carpzov. *in Proc. Tit. 13. art. 7. n. 48.*

XLIII.

De Probatione per Instrumenta.

Probationem per instrumenta æquè validam esse quam per testes apparet ex *L. in exercendis 15. C. de Fid. Instrum.* Hæc instrumenta verò regulariter post litem contestatam producenda, adeò ut si antea producta sint, post litem contestatam reproduci debeant. Pacian. *de Probat. Lib. 1. c. 66. num. 85.* nec sufficit hoc casu reproductio verbalis, sed realiter illa fieri debet Carpz. *in Process. Tit. 14. art. 1. n. 48.* Cæterum vi *Ordin. judic. Prov. Tit. 19.*

*Tit. 19. instrumentorum productio ad probandam actio-
nem eodem termino fieri debet, quo ipsi probatio in-
iuncta, sicuti intelligo verba: Das sie es thun mögen
und sollen in Zeit und dilation, wie vor gemeldet.
Pariter in Saxoniâ una cum ipsis articulis probatoriis
offerenda sunt instrumenta, quibus quis unum alterum-
ve articulum probatum cupit. Carpz. d. tit. 14. art. 1.
num. 18. seqq.*

XLIV.

Hoc quidem contra aliorum iudiciorum praxin
esse videtur, quod *Ord. Jud. Prov. Tit. 19.* dispositum:
Es mögen auch solche briefliche Urkunden hernach
bis zum Beschluß der Sache eingebracht werden:
quamvis Jus Canonicum idem statuere videatur *in c.
cum dilectus. 9. X. de fid. instrum.* Nam alibi post ter-
minum probatorium in tantum non admittuntur in-
strumenta, adeo ut quamvis producens protestatus fue-
rit de pluribus instrumentis adhuc producendis, non
audiatur *Carpz. in Proc. Tit. 14. art. 1. num. 32.* Simi-
le quicquam in Camera observari apparet *ex Rec. Imp.
de Anno 1694. §. beyneben bleibt einem iedweden. add.
Gail. Lib. 1. Observ. 107. num. 15. seqq.* Verum *Ordin.
Prov.* hoc postea restringit ad certum saltem casum, si
producens iuraverit, se instrumenta illa dolosè non re-
vicuisse. Quo casu etiam in Saxoniâ post terminum
probatorium elapsum nova producere licet instrumen-
ta, si juramento obtinuerit, se antea eorum notitiam non
habuisse. *Carpz. d. tit. 14. art. 1. num. 6. Dn. Brunnem.
in Pr. cap. 19. num. 13.*

XLV.

Producta instrumenta ab alterâ parte recogno-
scen-

Quo tempore
producenda
Instrumenta.

De recogni-
tione & dif-
fessione In-
strumentorû.

secunda esse, vulgò notum est, alioqui perfectam probandi vim non habebunt Coler. *de Process. Execut. P. 1. c. 3. num. 99.* Eandem recognitionem subintelligi puto in *Ordin. judic. Prov. Tit. 19.* sub verbo: *dieselbe besichtigen.* Quod si quis illa non recognoscere, sed potius diffiteri velit, illa diffessio mediante juramento fieri debet, per *O. P. d. tit.* quod in Saxoniâ, imò ubique ferè locorum pariter observatur. *Carpz. Proc. tit. 14. artic. 3. num. 34.* Sed an illud juramentum diffessionis ab ipso principali, an verò etiam à Procuratore expediri possit, nihil dispositum est in *Ord. jud. Prov.* Sane in Saxoniâ tali casu juramentum per procuratorem non admittitur, sed in personâ idem præstandum *Berlich. P. 1. Conclus. 44. num. 20. Carpz. Proc. d. tit. 14. art. 3. num. 38.* Verùm in Holsatiâ admittendum puto! Procuratorem speciali mandato instructum, cum & Calumniæ juramentum ibi per aliam præstari possit: quod pariter fallit in Saxoniâ, uti supra jam tum propositum *Aff. XX.*

XLVI.

De Editione
Instrumento-
rum.

De editione Instrumentorum, quæ in *Ord. Jud. Prov. Tit. 19.* habentur, eò pertinere mihi videntur, quando Actor à Reo editionem instrumentorum petit: hoc enim regulariter illicitum esse ex juris nostri principiis satis notum est, ubi actor paratus ad judicium venire & non arma ex domo Rei petere debet. *L. Qui accusare. 4. § L. Fin. C. de Edend. L. Nimis grave. 7. C. de Test.* Imò nec ad fundandam Replicam Reus actori edere tenetur instrumenta, licet id velit *Bachov. ad Treutler. Vol. 2. disput. 2. thes. 4. lit. A.* verbis: *ne tunc quidem.* add. *Berlich. P. 1. Concl. 45. num. 31. seqq.*
Sunt

Sunt tamen certi casus, ubi ipse reus ad edenda instrumenta obligatur actori, quorsum pertinet famosa limitatio *O. J. P. Tit. 19.* si instrumenta sint communia. *L. Procurator. 7. C. de Edend. Pacian. de Probat. Lib. 1. c. 63. num. 143.* Gail. *Lib. 1. Obs. 106. num. 3.* Alias limitationes habet Carpz. *in Proc. Tit. 14. art. 4. n. 40. seqq.* Caterum instrumenta prolixiora, librosque Mercatorum non, nisi quoad clausulam concernentem, edenda esse providè dispositum est in *O. J. P. d. tit. 19.*

XLVII

Hoc valde singulare est in Holsatiâ, quod debita, quorum verificatio dependet ex libris mercatoriis aliisque scriptis minus solennibus, præscribantur inter præsentés triennio, inter absentes sexennio, nisi interim facta fuerit judicialis interpellatio aut citatio. vid. *Ord. jud. Prov. Tit. 19. in fin.* Nulla ergo hic habetur ratio bonæ vel malæ fidei, quam tamen in omni præscriptione exigit Jus Canonicum *C. Vigilanti 5. & cap. ult. X. de præscript.* Pariter quoque præscriptio illa tricennaria, quæ Jure Communi in omni actione personali attenditur, non attento, quâ ratione debitum probetur, juxta *L. Sicut 3. C. de præscript. 30. ann.* hic magnam patitur limitationem. Imò integra fides librorum mercatoriorum, quæ alioqui maxima esse solet inter mercatores, adeò ut accedente juramento suppletorio plenam faciant fidem. vid. Marquard. *de jur. Mercat. Lib. 3. c. 9. num. 27. seqq.* hic summopere labefactatur, dum non sufficere dicitur, debitum libro mercatorio esse insertum, sed exigitur insuper, ut emtor & venditor rationes illas subscribant *O. P. d. t. 19. in fin.*

De præscriptione debiti Mercatorii.

XLIIIX.

De Probatione per ocularem inspectionem.

Probatio per ocularem inspectionem uti omnium optima dicitur Postius *de Manutenent. Obs. 19. num. 71.* quia quod oculus videt, nemo fideliter negat Welenbec. *Vol. 1. Consil. 58. num. 14.* ita hoc singulare habet, quod etiam post conclusionem in causâ admittatur per *Ord. Jud. Prov. Tit. 20.* quod alii Dd. ulterius extendunt, ut & post rem judicatam in ipso executionis actu adhuc admitti debeat ocularis inspectio Berlich. *P. 1. Conclus. 47. num. 30. seqq.* adeò ut si per evidentiam facti constet de iniquitate sententiæ, hæc ne quidem in rem judicatam transire possit Dn. Brunnemann. *in Proc. Civ. c. 22. num. 2. Pacian. de Probat. Lib. 1. c. 47. num. 86.* cujus rei rationes exhibet D. Stryk. *Tr. de Jur. Sens. Diss. 1. cap. 3. num. 9.* Quamvis ergo *Ordin. Jud. Prov.* tantum loquatur de conclusione in causâ, quod post illam admittatur ocularis inspectio, idem tamen admittendum puto, etiam post sententiâ contrarium demonstrari possit.

XLIX.

De Juramento suppletorio.

Probationis defectus quandoque juramento suppleri solet, quod ea propter vocatur juramentum suppletorium, cujus sedes est in *L. Admonendi 31. ff. de Jur. Jur.* In *Ord. Jud. Prov. Tit. 21.* prolixè dispositum, quid hoc casu judici attendendum, pleraque tamen cum Jure Communi conveniunt. Et primo quidem certum esse puto, illi juramento locum esse, si quis habeat unicum testem exceptione majorem; utpote qui regulariter semiplenam probationem facit. *Mev. P. 4. Decis. 279. Carpzov. Process. Tit. 12. art. 2. num. 29.* Sed
quid

quid si testis deficiat & conjecturae adsint, an tunc juramento suppletorio locus? Affirmat hoc *Mev. P. 3. Decis. 302.* si scilicet praesumptiones non leves sint, sed praegnantes. A quo non dissentit *O. J. P. d. t.* verbis: *Darumb sollen die Sachen mit allen ihren Umständen Anzeigung und Vermuthung erwogen werden / & postea additur, illi parti deferendum esse juramentum suppletorium, welches die beste Vermuthung vor sich hat.* Ceterum quamvis in *O. J. P.* arbitrio Consiliariorum relictum esse videatur, an & cui deferre velint juramentum hoc, si tamen una pars semiplene probaverit, & ita requisita hujus juramenti adsint, iudex illud omittere non debet, aut si hoc omiserit, nascitur justa appellandi causa. Illustr. *Dn. Ericus Maurin Camerae Imperial. Assessor. meritissimus, Patronus & Avunculus meus omni obsequio prosequendus. Consil. Chilon. 3. num. 32. seq.*

L.

Cui deferendum sit juramentum Suppletorium, an Actori, an Reo, hoc arbitrio iudicis relinquit *O. J. P. d. t. 27.* ita ut ille attendat, quamnam pars melius probaverit, quamnam melioribus conjecturis sit. Ita & quamnam meliorem facti notitiam habeat, imo & quamnam pars dignior & honestior, per verba: *in was Ansehen / Ehre und Tapfferkeit iede Parthey sey.* Hoc pariter alibi observatur, ut digniori & honestiori hoc juramentum deferatur *Berlich. P. 1. Concl. 53. n. 19. Carpzov. P. 1. Const. 23. def. 7.* praesumuntur enim hi meliorem conscientiae & famae habituri rationem, ne perjurium incurrant: unde illi, qui non integrae frontis vel inculpatae vitae, non solet deterreri hoc juramentum, quamvis semiplene pro-

audire a
hullu alic
-col mure
3656

Cui parti hoc
deferendum.
-STU ROLU
-CUI MURUS
-DUM MURUS
-MURUS

baverit. Marquard. Freher. *de Existimat. Lib. 2. c. 6. n. 13.*
 Dn. Brunnem. *in Proc. Civ. c. 23. n. 26.* Menoch. *de arbitr.*
jud. quest. Lib. 2. Cas. 190. n. 12. seqq.

L I.

In quibus
 causis illud
 locum ha-
 beat.

In quibus Causis juramento Suppletorio locus sit,
 nihil determinavit *Ordin. judic. Prov.* Remanet ergò hoc
 sub dispositione juris Communis, & regulariter admit-
 tendum illud juramentum, donec appareat exceptio.
 Pertinent huc Causæ civiles arduæ *Gail. Lib. 1. Obs. 108.*
 Causæ Matrimoniales *Carpzov. Proc. Tit. 12. art. 2. n. 61.*
Berlich. P. 1. Concl. 54. num. 14. Causæ Criminales *Arg. L.*
fin. C. de Probat. alias exceptiones recenset *Berlich. dict.*
Conclus. 54. Quamvis prioribus duobus casibus, si plus
 quam semiplenè probatum, huic juramento locum fa-
 ciat *Carpzov. d. art. 2. num. 66.* Hoc singulare est in Hok-
 satia, quod principali impedito juramentum suppletori-
 um per Procuratorem præstari possit, prævio speciali
 mandato.

L II.

An admitten-
 dum jura-
 mentum sup-
 pletorium cre-
 dulitatis.

Regulariter Juramentum Suppletorium nemini de-
 ferendum, nisi qui certam facti notitiam habet: qui enim
 supplere defectum probationis suo juramento vult, o-
 mninò certus esse debet; certitudo verò nulla alia nisi
 ex sensibus, per quos solos res ad intellectum devolvi-
 tur. Hinc concludunt Dd. juramentum Suppletorium
 illi deferendum, qui rei notitiam habet ex sensu corpo-
 reo. *Menoch. de arbitr. judic. quest. Lib. 2. Cas. 190. n. 5.*
Setzer. de jurament. Lib. 4. c. 12. n. 17. *Besold. P. 5. Consil.*
246. num. 52. Unde regulariter juramentum in supple-
 mentum credulitatis non est admittendum. *Berlich. P. 1.*
Conclus. 53. n. 17. *Pruckmann. Vol. 1. Consil. 12. n. 218.* Dn.
 Brun-

Brunnem. *Proc. Civ. c. 23. n. 75.* Interim tamen in *Ordin. Judic. Prov. Tit. 21.* heredes mercatorum admittuntur ad juramentum credulitatis, quo casu tamen ipsis simul jurandum, se nullum defectum in defuncti mercatoris libris reperisse; quod in plerisque aliis judiciis pariter receptum est.

LIII.

Juramentum judiciale, quod in specie litis definitur, dici solet, deferri potest Jure Communi, etiamsi deferens nihil probaverit *L. 35. pr. ff. de jurejur. L. 12. pr. C. de R. C. Carpzov. Proc. Tit. II. num. 81.* modò deferens de calumniâ juraverit antea *L. 34. §. 4. ff. de jurejur.* Aliud videtur dispositum in *Ord. Jud. Prov. Tit. 22.* ob verba: Da die Partheyen genugsame Beweifung nicht vorbringen würden; ergò in defectum probationum demum delatio locum habere videtur: quorsum etiam respiciunt verba *fin. d. 1. 22.* ubi dicitur, Si Actor delationem juramenti ante litis contestationem sibi reservaverit, postea illud deferre possit, etiamsi nihil probaverit: Ex quo à contrario sensu colligendum videtur, ergò post litem contestatam, non nisi deficiente aliâ probatione deferri posse videtur. Verùm ratione temporis deferendi hoc juramentum valdè discrepat Jus Saxonicum. Cum enim in Holsatiâ sufficiat, illud ante litem contestatam reservasse, in Saxoniâ exigitur, ut hoc deferatur non tantùm ante litem contestatam, sed etiam ante præstitam gvarandam, ita ut postea planè non audiatur. Hartmann. *Pistor. P. 4. quest. 22. num. 7.* in tantum, ut quamvis protestando sibi reservaverit juramenti delationem, non tamen post litem contestatam illud deferre possit, Berlich. *P. 1. Conclus. 28. n. 34.* Carpz. *Process. Tit. II. art. I. num. 104.*

De Juramento
judiciali, quã-
do deferri
possit.

LIV. De-

De deductio-
nibus juriū.

Deductiones juriū quod attinet, in *Ord. Jud. Prov. Tit. 23.* illi parti, quæ testes produxit, post publicata attestata conceditur facultas scriptum probatorium, esse *Probations-Schrift* conficiendi, cui alter opponit exceptiones contra personas & dicta testium, contra quas replicat Actor, & Reus duplicat, quo facto in causâ submittere tenentur. Differt ab hoc Processus Saxonicus, ubi non is, qui probavit, sed Reus contra quem probatio suscepta, exceptivè contra attestaciones procedit. *Carpzov. in Proc. Tit. 15. art. 1. num. 42.* Quod sine dubio capropter factum, quia tam Jure Saxonico, quam per *Recess. Imper.* novissimum testium depositiones sub quovis articulo conjunctim collocantur, ut adeo non opus sit demum per scriptum probatorium ostendere, in quonam testes concordent vel non, quia sola inspectio rotuli hoc facile ducebit judicem vid. *Dn. Brunn. Process. §. 20. n. 61.*

De transmis-
sione actorum
& relatione.

Postquam in causâ submissum, acta vel transmitti solent ad Collegium aliquod Juridicum, quod regulariter fit sumtibus utriusque partis, vel inter Consiliarios distribuuntur ad re- & correferendum. Quâ ratione verò relationes conscribi debeant vid. *Ernest. Maur. Landvvehr. Tract. de relat. judic. hodiern. Besold. Diss. de modo referend. in caus. civil. In Ordin. Judic. Prov. Tit. 24.* provide dispositum, ut correferens nesciat, quis sit referens & vice versa, sine dubio ne alter alterius fidem sequatur, sed unus quisque debita industria acta perlegat. De cætero quod in eod. tit. 24. dicitur, sententiam scripto concipiendam, & ita partibus prælegendam esse, hoc

hoc coincidit cum Jure Communi per *Tit. C. de sentent. ex periculo recitand.* vid. *D. Stryk. Introd. ad prax. for. cautè instit. c. 22. §. 4.*

LVI.

Victum victori in expensas condemnandum esse Jure Communi satis cautum, si modò temeritas litigandi appareat per *L. Eum qui temerè. 79. ff. de jurejur.* Idem inculcat *Ordin. Judic. Prov. tit. 25.* non enim debet judex facilis esse in expensis condemnandis; namque crebra compensatio expensarum in causâ esse dicitur, quod malitia litigantium in tantum excreverit. *Parthen. Litigios. c. 6. n. 15.* Vnde *Ordin. Holsat.* si manifesta temeritas sit, arbitrariâ adhuc pœnâ improbum litigatorem coërcendum esse vult. Cæterum omninò ab expensis absolvendus, qui peritiores consuluit, & ita Consilium vel Facultatis Juridicæ, vel celebris alicujus Jurisconsulti pro se habet. *Berlich. P. 1. Concl. 54. n. 30. seqq. Gail. Lib. 1. Obs. 152. num. 6.* quod tamen sublimitandum, nisi ad falsa narrata, quod non rarò fieri solet, ejusmodi responsum obtinuerit Actor: Jurisconsulti enim secundum proposita respondent.

De condemnatione in expensas.

LVII.

Si sententia publicata & ab eadem intra decendum non appellatur, illa vim rei judicatæ consequitur, per *Ord. Jud. Prov. Tit. 26.* quod pariter ita se habet Jure Communi. *Nov. 23. c. 1.* Additur in *d. t.* quod post lapsum decendii amplius audiri non debeat condemnatus. Ratio sine dubio est, quia tempus interponendæ appellationis præcisè fatale est, adeò ut nec à partibus nec à judice prorogari possit *Berlich. P. 1. Conclus. 5. num. 105. Gail. Lib. 1. Obs. 140. num. 7.* Hoc tamen

De transitu sententiæ in rem judicatam.

F

non

non admitto, quod Carpzovius planè ignorantibus hoc fa-
tale currere velit, vid. Idem *in Proc. Tit. 18. art. 3. n. 34.*
nisi Procuratorem apud acta habeat. De ignorante e-
nim dici nequit, quod sententiam approbaverit: modo
juramento ignorantiam docuerit. *Mev. P. 7. Decis. 296.*
Dn. Brunnem. in Proc. c. 28. n. 43.

LIIIX.

De Executio-
ne Rei judi-
catae.

Condemnatus si sententiae parere nolit, victor ela-
pso termino supplicat pro dandis Executorialibus,
sub comminatione *des Land = Bannes* / ut sci-
licet in casum continuatae contumaciae expellatur ex
Ducatu Holsatiae incorporatisque Provinciis, de quo
vid. *Ordin. Judic. Prov. Tit. 26.* In quo Praxin Ca-
merae secuta videtur *Ordin. Holsat.* cum Camera aequè
contra contumaces banno utatur, vid. *Blum. in Pro-
cess. Camer. Tit. 25. num. 28. seqq.* Satis severus hujus
banni effectus videtur, dum in *Ordin. Judic. Prov.* ita
cavetur: *Wer dann also in die Straffe des Bannes
und der Proscription erkläret wird / der wird zugleich
gesezet aus dem Frieden in Unfrieden / und sein Leib /
Haab und Güther männiglichem erlaubet / daran
auch keiner freveln kan.* Verùm an exinde colligere
licebit, bannitum impunè occidi posse? Non puto:
quamvis enim omnia amittat bannitus, quæ Juris Ci-
vilis Rom. sunt, cum pro Cive amplius non habeatur,
*Carpzov. Prax. Crim. P. 3. quest. 140. num. 26. Gail. de
pace publ. Lib. 2. cap. 12. n. 3. seqq.* Unde etiam illa verba,
daran auch keiner freveln kan / ita intelligenda puto, si
quis bannitum in corpore vel bonis læserit, quod ipsi
bannito eapropter nullum jus agendi nascatur: natura-
lis tamen juris quæ sunt, bannito non videntur denegan-
da,

da, ergò nec vita ipsorum, quorumvis libidini exponenda. Ob quam rationem phrasin illam, *Er ist vogelfrey gemacht* / non ita intelligendam puto, quasi bannitus ut avis occidi, sed quod ut avis liberè capi possit.

LIX.

Atqui hæc sunt, quæ pro instituti ratione in medium proferre libuit; plura me adducere potuisse fateor, sed temporis & instituti ratio obicem mihi posuit. Insuper etiam cum multa stylo iudicii Holsatici aliter se habere possint, quam sicut illa in *Ordin. Judic. Prov.* expressa, illa quæ adhuc desiderari possent, eò usque reservo, donec Deo clementissimè mihi concedente, juris patrii praxin per experimenta fori addiscere licuerit. Tu Benevole Lector, si bonus es, hæc benè interpretare: quod si displicuerit tibi exiguus hic labor, scias, non ab exercitato Jurisconsulto, sed homine discendi cupido hæc esse conscripta.

Interim Deo Ter Opt. Max. devotas ago gratias, quod divinâ suâ clementiâ benignè adesse & mentem dirigere voluerit, cui me meaque ulteriora studia commendo.

*

F 2

CO.

COROLLARIA.

I.

*Primæva processus origo non iniquè
Furi Divino ac Naturali adscribitur.*

II.

*Reipublicæ interest processus abbre-
viari.*

III.

*Qui contra alterum processum insti-
tuit ex solo animo vindictæ cupido,
is peccat, quamvis optimam & ju-
stissimam habeat causam.*

IV.

*Secundùm statuta loci Judex judi-
care tenetur.*

V.

*Judex potius secundùm conscientiam,
quam secundùm acta & probata ju-
dicare debet.*

VI.

*Christiani salvâ conscientia in judicio
litigare possunt, modò ne iniquitatis
causæ notitiam habeant.*

VII.

VII.

*In causis Matrimonialibus summaris
processus locum habet.*

VIII.

*Amicabilem compositionem Judex sua-
dere, non imperare debet, processus
enim cuique est permittendus.*

IX.

*Ab executione processus non est incho-
andus, quamvis publica producan-
tur instrumenta.*

X.

*Processus coram Judice incompetente
institutus, est ipso jure nullus.*

XI.

*Pendente processu nihil innovandum
est.*

XII.

*Advocatus, qui circa processum, negli-
gendo stylum curiæ, aliquid delin-
quit, tenetur clienti ad id, quod in-
terest.*

* * *

Ergo JENA ^{***}Tuas, HENNINGI, de-
nique pugnas
Spectat, dum Cathedræ pulpita docta
subis:

Audit multiplices Themidos TE funde-
re voces,

KILIA quas docuit, quas VIADRINA
dedit.

Gratulor ex animo, post hos certaminis
æstus

Præmia quod capias, digna labore Tuo!
Perge velox porrò decurrere tramite recto,
Virtutis Cultor, Eunomiæque sacræ,
Et lege perpetuò Magni vestigia Patris,
Sic felix semper, sicque beatus eris!

Ita

*de summis utriusque Juris honoribus benè meritis
prolixo adfectu gratulatur*

SAMUEL STRYKIUS, D.

Consiliar. Elect. Brand. & Facult. Jurid.

in Academia Francofurtensi

Ordinarius.

Nobi-

Nobilissimo Viro

ERICO HENNINGIO,

V. J. Doctorando dignissimo,

S. P.

PETRUS MÜLLERUS, D.

Sic navim Tuam in flore vitæ ad
optatum illum Musarum portū
flexisti, ut nunc ad æternæ famæ tem-
plum, non sine faustis acclamantium
votis subvectus properes. Ita palma
in fine laborum posita est, quæ trium-
phis omnibus potior, & beatura nos
apud Eum, qui solus æternitas. Lau-
dant labores Tuos Themis Charites-
que canuntque industriam. Nil ergo
superest, quàm ut sacra Iuridicina
mox cingat caput summa infula. Ac-
celeres modo, mitram ut Tibi impo-
nat purpura, dignaque accipias bra-
beja. Deus faxit, ut virtutum spoliis o-
nustus Lares patrios feliciter salutes,
lætitiâque Patrem Patriamque virtu-
te bees! Vale.

Ve 1894
Madrigal.
Herren Tempel liegt auf hohen Spitzen/
Darzu die enge Bahn
Führt nur allein die muntern Geister an/
Die nach der Klugheit streben.
Ein eckler Überdruß
Und ein verwehnter Fuß
Wird seinen Schritt dahin mit nichten heben.
Darzu muß saure Mühe seyn/
Da läßt man nur geprüfte Sinnen ein.
Drum kont es auch nicht anders kommen/
Du Themis = Sohn/ weil du auf deiner Fahrt
Kein Wachen/ keinen Fleiß gespart/
Daß Dich der Ruhm dahin nun aufgenommen/
Woselbst Du bald wirst in dem Purpur gehn.
Durch Arbeit kan das Ehren = Schloß bestehn.

Hiermit wolten ihre gebührende Schuldigkeit
erweisen

Ihrer Magnif. Herrn D. Peter Müllers/JCti,
Zischgesellschaft.

* * *

V D 17

m.c.

Parenti
Acader
sum, ut
Vnde e
gumen
augura
constit
cessum
re, què
quid cu
cutus v
Judicii
STIAN
DERIC
te 3. pr
propor
te B. L
gnè int
do ma
inquisit
quos e
desider
sunt,
Quod
adoro
tissime



bus antequam
n eò adductus
ne respicerem.
mavi, quo ar-
sertationis In-
em. Videlicet
Holfatici Pro-
onico confer-
are Holfatia,
u habeat. Se-
Ordinationem
Rege CHRIS-
iæ Duce FRI-
bi cum in Par-
Judicio illustri
ique sequar. A
conatus beni-
ura est aliquan-
patrios mores
faveas, lapsus,
gnoscas, & quæ
quam plurima
uppleas rogo.
ontem devotis
cessus exopta-
ur! Sit itaque
ASSER-

alt
tin
dar
No
lati
Pra
vie
se
gin
dic
per
me
ner
der
Ap
à P
pro
run
qua
ces
tan
Dn
CR

